



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Intaminata munditia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

observavit. Sus vero forexque tanta concordia naturæ consentiunt, ut quod Magi tradunt, si quis muris jecur in ficu porco vorandum dederit, animal id eum qui dederit, nullo edito grunnitu ultro deinceps adfectetur quoquo ierit, quod ego Patavii factum memini nonnullorum juvenum astu, qui ganeæ potius quam disciplinis dediti erant, non sine totius vicinæ querelis, quæ sibi porcos in certis authoribus abduci lamentabatur.

AMATORIÆ DELICIÆ. CAP. XXXIV.

Longe vero diversum illud, quod illecebras amatorias, petulcioreque lascivias per album murem significare, non Ægyptiorum modo commentum, verum & Græcorum fuit. Nam de muris salacitate multa sunt à plerisque prodita: sed præcipuè mihi videtur Plautus rem expressisse, ubi Phronisium Dinarcho suadere conatur, ut multivolus sit in re venerea. sic enim ait: *Sed tamen cogitato mus pusillus quam sit sapiens bestia, statem qui uni cubili nunquam committit suam, quæ si unum obsequatur, aliunde profugium quarit.* Moris vero fuisse muris nomine amatoribus adblandiri, ex Epigrammaticarij versu noscitur:

Auctor Ælianus l. 12. c. 10.

Nam cum me murem, cum me tua lumina dicas.

Ob notissimam verò muris salacitatem, mulierem quandam portentosæ libidinis, qualem nostri Messalinam fuisse memorant, ab Epicrate Myonam, quasi nos Murinam dicamus, appellatam ait Ælianus,

INTAMINATA MUNDITIA. CAP. XXXV.

Mus albus quis.

Quem vero intelligat Ælianus & Philemon per album murem, nemo ex nostris, quod hæcenus legerim, explicavit: si tamen ad Plinium & alios probatissimos auctores aspexeris, eum esse conjicies, quem Armenium vocamus, villi pelliumque mollitiæ delicatum, Francisci Petrarchæ versibus pro castitatis hieroglyphico nobilitatum: utpote qui delicatioris cujusdam munditiæ exemplar haudquaquam ignobile esset, cui scilicet spurcitiæ tantæ sit abominationi, ut limo ante osium cavi illito, capi potius à venatoribus, quam eo fœdari patiatur: quod cum sanctiores sit amoris proprium, intemeratæ castitatis symbolum, quæ divina tantum flamma succendatur, à peritissimis rerum ponitur.

ARGIVI CAP. XXXVI.

Invenitur & in numis muris signum: eam vero Argivorum præcipuè monetam fuisse, Plutarchus ait, apud quos fuisset moris, ut numum imagine muris insignitum cuderent,

DE FELE. CAP. XXXVII.

Plin. lib. 10. c. 73. Varia Felis nomina.

Si pro Æluro Felem reddidero, satis scio paratos emissarios esse qui medentibus invadant. Sed enim quæ Plinius de Fele refert, dum quærit quo silentio, quamque levibus vestigiis avibus obrepant Feles, quamque occulto speculatu in musculos insiliant: tum ea quæ ab Anniano Poëta memorantur apud Gellium, quæ ab Ægyptiis eo supersunt memoriæ prodita, cujus oculi ad vices Lunæ, aut ampliores fiunt, aut minores domestico huic animali, quod Albertus modo cattum, modo Murilegum appellat, congruere manifestum est. Sunt & qui Musionem vocent: Felem autem alii, quæ vulgo Felina, alii qui Martes appellatur, esse volunt. eoque & Varronis & Columellæ autoritatem trahunt. Nam quæ illi una cum Nicandro de venatu avium clandestino nocturnoq; tradunt, Martem id facere satis exploratum est. Sed quoniam de harum nomine plerique certant, ne temere uni magis quam alteri faveamus Æluri vocabulum interim usurpabimus, de quo in antiquo Festi Pompeji codice hæc adinueni: *Est Ælurus animal Leoni cum procreatur persimile, olim sylvestre: maxime muribus adversatur, salax, oculi cujus acie flammea, ad imitationem Lunæ crescunt & decrescunt. Nam veluti Luna pro solaris luminis participatione faciem quotidie variat, ita Ælurus pari cum Luna conditione afficitur: nunc aucta, nunc imminuta pupilla, prout Luna orbis nunc se plenum, nunc dimidiatum, nunc cavum, nunc tuberosum ostentat. Licinius Umbres in Nereæ: Murium similes Ælurorum oculi, ut minuti Lu-*